Clarissime Vir!

In retributionem aestimatarum litterarum tuarum mitto Tibi paratissimo animo species plantarum, quas hoc anno in consortio amici mei Dris Schlosser in Croatia montana; in Otočac, Lika et Velebit legeram. Pars est solummodo exigua magnae copiae, quo ibi provenit, sed tempus breve quinque septimanarum non admisit plura. Gratulor mihi, quod amica opera Tua perventurus sim ad majorem claritatem nonnullarum specierum, quas novas reputo, aut quo mihi dubiae videntur. secura tua et multum experta manu tibi licebit me reducere ad tramitem verum. Quas dubias reputaveram plantas signo interrogationis distinxi. Quod Floram dalmaticam non minus quam Croaticam divitem attinet, eam ex libris plurimam nosco, quia in Dalmatia neminem scio, quocum commercium scientificum exercendum esset; sunt itaque plantae dalmatiae apud nos rarissimae. Quidquid idcirco mihi mittere dignaberis, charum mihi erit, et prorsus tibi relinquo.

Sunt aliquæ plantæ etiam ex Croatia interiori immixtæ, plures anno futuro pro Te componam, quia desidero in amica et scientifica connexione in futurum magis solidanda permanere. Nec dubito, in patria mea adhuc magna in parte ignota plura reperiri, quæ Botanici attentionem merentur. Ex genere Hieraciorum, satis divite, nullum specimen pro nunc mitto, quia credo tibi cum modo missis plantis sufficientem occupationem futuram; partim ideo, quia Hieracia Croatica per me specialiter electa in separata Monographia comprehendere intendo; finito labore, tibi opus communicabo. Opusculum meum, quod de applicatione Systematis naturalis ad Botanicam scripseram, tibi in tesseram æstimationis meæ adjungo. Plantas, quas mihi missurus es, simpliciter Zagrabiam mittas, et quidem via ferrea vel postali per Diligenza.

Amico tuo affectui recommendatus, summo cum aeſtimio perſiſto

Tuus

Zagrabiae 23. Novemb. 856.

obſequentiſſimus ſervus
Ludovicus Farkaš Vukotinović